



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs

Ribadeneyra, Pedro de

Antverpiæ, M. DC. VIII.

H.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

H.

HENRICVS BLISSEMIYS, natione Germanus, patria Coloniensis, annos natus xv. in nostrorum numerum adscribi voluit, & impetrauit: deinde & ad nostrum institutum conformatus, & bonis litteris feliciter institutus est. Itaque Pragę Sacram Theologiam cum laude docuit, & Collegij Pragensis & Græcensis Rector fuit, & totius etiam Prouincię Austrię Præpositus Prouincialis. Edidit librum

De communione sub una specie. item,

De Ecclesia militante, contra Herbrandum.

Migravit è vita Gręcij, anno salutis M. D. LXXXVI.

HENRICVS ENRIQVEZ, natione Lusitanus, patria Portuensis, à prima ætate nostrę se Religioni sacrauit, in Philosophicis ac Theologicis disciplinis perfectè eruditus, eas etiam in Collegiis nostris Cordubensi ac Salmaticensi magna doctriņæ opinionione publicè professus est. Scripsit hætenus,

Summa Theologiæ moralis Tomos III. in quibus paucis verbis rerum quasi summam perstringit, & tamquam textum proponit Lectori. Deinde Annotationibus vberioribus enucleat, & auctorum testimoniis copiosius confirmat. quibus Tomis tribus hæc continentur:

De Sacramentis in genere.

De Baptismo.

De Sacramentis Confirmationis, & extrema Vnctionis.

De Pœnitentia.

De Clauibus Ecclesiæ.

De Indulgentiis.

De sanctissima Eucharistia.

De Missæ sacrificio.

De Sacramento Ordinis.

De Matrimonio.

De Censura excommunicationis.

De Suspensione & interdicto.

De Irregularitatis impedimento.

De fine Hominis.

De Pontificis potestate & electione.

De Censuris Pontifici reservatis.

De Concilij auctoritate.

De Legibus.

HENRICVS PUTZIVS, natione Belga, patria Marcoduro, Menapiorum oppido ortus, & Matthiæ Putzij germanus frater, sub vexillo Societatis militare cœpit XXI II. Decēbris, anno M. D. XXCVI. vitamque reliquit Colonie VI. Aprilis, anno M. D. XCVI. Fuit, sicut Matthias eius frater, raro atque excellenti ingenio. Scripsit *Tragœdiam Iosue*, aliaq; nonnulla, carmine eleganti.

HENRICVS SAMERIVS, natione Belga, patria Luxemburgensis, Historie Ecclesiasticæ ac temporum in supputando peritissimus, edidit Antuerpiæ, *Chronologiam sacram ab orbe condito, usque ad CHRISTVM natum*, confutatis multorum ad hanc diem calculis.

HENRICVS SOMMALIVS, natione Belga, patria Dinantensis, agri Eburonum, vir in eruendis castigandisque sacrorum auctorum scriptis diu multumque versatus, edidit,

Fasciculum diuini amoris atque deuotionis, ex SS. Patrum scriptis collectum.

Emen-

Emendauit etiam ad veteres membranas,

D. Augustini Confessionum lib. xiiii.

Eiusdem *Meditationes, Soliloquia, & Manuale.*

B. Anselmum de excellentia B. M. Virginis. item,
Similitudinum eius librum atque *Epistolas.*

Thomæ de Kempis Opera.

Eiusdem *Thomæ de Kempis libellum De imitatione CHRISTI*, ex auctoris autographo typis Plantiniani sæpiùs recusum.

Alberti Magni Paradisum, seu *De virtutibus*, Scholiis illustrauit: dabitque & *Albertum M. de vitiis*, hæctenus ineditum.

HERIBERTVS ROSWEYDVS, natione Belga, patria Ultraiectinus, Philosophiam & Theologiã professus, dedit *Fastos Sanctorũ*, quorũ vitæ manuscriptæ in Belgio, cum *Actis Præsidialibus sanctorũ Taraci, Probi, & Andronici.* Specimen operis ingētis, quod vtinam inchoatum ad exitum perducere queat feliciter, Tomis nimirum xvi. de vita CHRISTI ac VIRGINIS, Sanctorumque in Ecclesia Catholica; siue temporum quo floruerunt habita ratione, siue mensium, quibus coluntur; post Aloisium Lipomanum ac Laurentium Surium, benè de Ecclesiastica historia meritos.

Præterea *Arnobium & Minucium Felicem*, à se Commentario illustratos, adhuc premit.

* HERMANNVS THYRÆVS Nouesij in Vbiis natus est, anno salutis M. D. xxxii. Deinde cùm Romæ Collegij Germanici ex primis esset alumnus, Societatem nostram expetiuit, & in eam à B. P. N. I G N A T I O admittus est, anno salutis M. D. lvi. xxvi. Maij. Roma Ingolstadiũ profectus, ea in Academia aliquot annos docendo posuit. Tum propter

egregiam prudentiam cum insigni religione coniunctam, ad alios gubernandos destinatus, Collegij Treuirensis & Moguntini Rector fuit, Archiepiscopis illarum ciuitatum mirum in modum gratus, à quibus ad magnas res gerendas adhibebatur. Prouinciæ item Rhenanæ Præpositus Prouincialis fuit. Tandem Moguntia apoplexia propè sexagenarius extinctus est xxvi. Octobris, anno salutis M. D. xci. magno totius ciuitatis luctu. Scripsit Latinè & Germanicè librū *De Religionis libertate*. Collegit & *Sex millia dubiorum de Confessione Augustana, & duo millia irregularitatum*, quibus Lutherani prædicantes implicati tenerentur. Sed vterque fœtus in lucem propter mortem parentis editus non est.

HIERONYMVS FLORENTIA, natione Hispanus, patria Complutensis, à parentibus pietate insignibus procreatus, & ab ipsa infantia educatus est ad pietatem. Itaque pueritiæ vix annos egressus, exemplum Ioannis Florentiæ germani ac natu maioris fratris secutus, Societatem nostram Compluti complexus est, anno salutis M. D. LXXXII. Augustinum Florentiam, fratrem omnium minimum, suo itidem exemplo incitans, vt fratrum vestigiis insisteret; quod postea fecit, cum & ipse nobis additus est. Deinde HIERONYMVS excellenti ingenio, rara memoria, magna animi contentione, politiores litteras ac seueriores disciplinas didicit, & professus est. Philosophiæ cursum (vt vocant) peregregiè docendo confecit, multosque ingeniosos atque vtilis discipulos habuit in Societate, Sacram etiam Theologiam, atq; illam potissimum, quæ rationes rerum exquirat, & veritatem ad calculos reuocat, & omnibus

bus vestigiis indagat, cum laude est interpretatus. Sed cum aliis HIERONYMVS FLORENTIA rebus præstat atque excellit, tum maximè dicendi facultate, cum ex loco superiore ad populum verba facit, & auditorum animos sententiarum grauitate, verborum casta elegancia, vocis dulcedine & claritate, vel deterret à vitiis, vel ad virtutes impellit. Quamobrem dum concionatur, & præconis Euangelici partes agit, maximo populi concursu, attentione, admiratione, ac vitæ emendatione vbique auditur. Exierunt in lucem aliorum operâ, atque habentur in manibus, *duæ* illius *Orationes funebres*: quarum altera persecutus est exequias funeris Garziæ Loaysæ Archiepiscopi Toletani, qui Compluti excessit è vita; altera, Marię Augustæ virtutes laudesque recensuit, cum sanctissimæ atque omnium memoria clarissimæ Principi, nostro in Collegio Madritano, tamquam benignissimæ matri nostri mærentes parentarent, ac pia illius funeri iusta persoluerent.

HIERONYMVS NATALIS, natione Hispanus, patria Balearis, siue Maiorica insula natus. Vir fuit omni disciplinarum genere excultus, Latinæ, Græcæ, atque Hebraicę linguæ peritissimus: qui dum ad Concilium Tridentinum proficiscitur, atate iam prouecta & confirmata, anno salutis M. D. XLVI. sese Romę ad nostram Societatem adiunxit. Huius opera multum B. P. N. IGNATIVS, ac sequentes Præpositi Generales, in propaganda ac gubernanda Societate vsi sunt. Erat enim vir peracri iudicio, perfecta obedientia, rara prudentia, & ad res conficiendas vigilantia, diligentia, efficacitate singulari: quam ob rem Prouincialis, Assistentis, Commissarij,

rij, Vicarij Generalis officijs præclare functus est: & demùm Romæ in Nouitiorum domum sancti Andree se contulit, vbi senectute confectus, pueris & adolescentibus nostris tironibus magno exemplo atque incitamento ad omnem virtutem fuit; & plenus dierum ac bonorum operum, in ipso glorioso Domini nostri Resurrectionis die vitam cum morte cõmutauit, anno salutis M. D. LXXXI. ætat. LXXVI.

Quamuis autem variis semper grauissimisque negotiis fuerit districtus, & gubernationis laboribus implicatus, scripsit tamen peregregias *Annotationes ac meditationes in Euangelia*, quæ in Sacrosancto Missæ sacrificio per totum annum leguntur: quas eximiis & admirandis Imaginibus in æs à summis artificibus Antuerpiæ insculptis, rem totam representantibus, exornauit. Magnam hoc in opere HIERONYMVS præ se fert pietatem, eruditionem, Sacrarum litterarum intelligentiam, atque Euangelicæ historiæ cognitionem. Excusus est liber Antuerpiæ apud Martinum Nutium, anno salutis M. D. XCIII. & Plantinianis typis, anno M. DC. VII.

HIERONYMVS PLATVS, natione Italus, patria Mediolanensis, nostrum Romæ institutum suscepit, cum esset adolescens, forma, ingenio, modestia, morumque suauitate præstans. Postquam verò animum bonarum litterarum cognitione compleuit, P. Claudius Aquaiua Præpositus noster Generalis eius opera vsus est in Latinis litteris scribendis: quam Prouinciam dum egregiè sustinet, & Nouitiorum, qui in domo professi versantur, curam gerit; ad caelestem patriam euocatus est, anno salutis M. D. XCII. ætatis circiter XLVI. Scripsit,

De Bono status Religiosi lib. III. pietate atque erudi-

eruditione refertos. Item,

*De Cardinalis dignitate & officio, ad Flaminium
Platum Cardinalem, fratrem.*

HIERONYMVS PRATVS, natione Hispanus, patria Baëcensis, à pueritia nutritus, & bonis artibus eruditus in Societate, in Cordubensi collegio Sacras litteras magna cum laude est interpretatus, & Romæ anno salutis M. D. XCVI. piè excessit è vita.

Et

IOANNES BAPTISTA VILLALPANDVS, natione Hispalensis, Patria Cordubensis, vir doctus, & architectus insignis, vnà cum HIERONYMO PRATO scripsit *Explanationes in Ezechielem, tribus Tomis distinctas*. Tomo primo continentur Commentarij HIERONYMI PRATI, in priora XXVI. capita Ezechielis. Tom. II. *Explanationes IOANNIS BAPTISTÆ VILLALPANDI*, in reliqua eiusdem Ezechielis capita. Tomo III. *Apparatus urbis ac templi Hierosolymitani, Commentariis & imaginibus illustratus*, eiuſdē IOANNIS BAPT. VILLALPANDI studio cum eodem HIERONYMO PRATO collato. Vtrumque autem in vnum coniunxi, quoniam vterque simul operam Ezechieli illustrando nauauit, & mutuas operas tradidit.

HIERONYMVS RIPALDA, natione Hispanus, patria ex ciuitate Tiruel, anno salutis M. D. LI. ætatis verò XV. Compluti animum appulit ad Societatem, & in ea piè educatus ac probè eruditus, plurimis locis Superioris munere functus est. Scripsit hætenus,

*Modos suauis agendi cum DEO. Præterea,
Libellum breuē quidem illū Doctrinæ Christianæ,
sed appositum ad pueros erudiendos & formandos
ad pietatem.*

HIE-

HIERONYMVS TORRES, natione Hispanus, patria Catalaunus, ex oppido Momblanc, ætatem vix primam egressus nostræ se obtulit Societati, moxq; Romam missus est anno salutis M. D. LIII. Romæ verò cursus aliquot Artium, vt vocant, docendo confecit, & Aristotelicas scientias auditoribus explicauit. Inde in Germaniam obedientiæ iussu se cõtulit, vt Theologiam in Academia Ingolstadiensi post Alphonsum Pisanum, nostræ item Societatis Doctorem Theologum, publicè exponeret, & pro virili passim grassantium se furori hereticorum obiceret: quod & præstitit magna religione, diligentia, eruditione. Sed cùm ex *Confessione* Lutheranorum *Augustana*, tamquam ex infecto & pestilente fonte, plurimos animaduerneret errorum manare riuulos, videretque hæreticos omnibus in Colloquiis, Disputationibus, Lectionibus, vbique crepare, in ore semper habere D. Augustinum, & sanctissimum Patrem, atque Ecclesiæ Catholicæ lumen, quasi secum sentientem in medium proferre, & verissimis ac sapientissimis eius sententiis aliorum detortis, falsa absurdaq; dogmata stabilire; faciendum sibi existimauit, vt *Augustinum* à calumniis hæreticorum vindicaret, & veritatis luce illorum tenebras depelleret, clauum, vt est in Prouerbio, clauo trudens. Quapropter,

Confessionem edidit *Augustinianam*, ex omnibus D. Augustini operibus magno studio atque labore collectam, & Augustanæ confessioni opposuit, ceu pestifero veneno præsentissimum antidotum: quo in opere duo egregiè præstat; alterum quòd Catholica dogmata mirificè probat & confirmat, refutatque hæreticorum errores ex Augustino; alterum quòd

quòd locos ipsius Augustini vel malè intellectos, vel maliciosè detortos, atque ab hæreticis deprauatos, ad amissim reuocat, atq; sincerè interpretatur. Duplex hinc commodum extitit. Multi enim per Germaniam prauis hæreseos opinionibus imbuti, legentes *Augustinianã* HIERONYMI nostri *Confessionem*, *Confessionem Augustanam* detestati sunt; emergentesque ex cæno illo, in quo miserè iacebãt, sese ad Catholicæ fidei portum receperunt. Dein Catholici doctores eius incitati exemplo, *Confessiones* dedere *Ambrosianam*, *Hieronymianam*, ac *Cyprianam*. Scripsit etiam TORRES contra *Bidembacchium* hæreticum, & in prioris *Epistola Pauli ad Timoth. Caput primum*. Viuit adhuc HIERONYMVS, idcirco nihil de eius virtutibus dicam.

HORATIUS TYRSELLINVS, natione Italus, patria Romanus, in ipso adolescentiæ flore Societatem nostram expetens, assecutus est; & cùm aliis tum humanioribus potissimùm litteris excultus, illas permultos annos in Collegio Romano docuit: Collegij etiam Florentini ac Lauretani Rector fuit. Scripsit,

De Vita B. Francisci Xauerij lib. VI.

Epistolarum eiusdem Francisci lib. IIII. quas in vnum corpus collegit, atque eleganter ex Hispano sermone Latinas fecit.

Compendium Grammatices Emanuelis Alvarez.

Item, *Varia Poëmata & Tragœdias sacras.*

Ad hæc, *Orationem funebrem in mortem GREGORII XIII. Pont. Max.*

Lauretane Historia lib. V. Item, libellos duos, alterum, *De vsu particularum Latini sermonis*; alterum, *Nomenclatorem vocum Latinarum.*

Sed

Sed HORATIVM alias ingenij sui lucubrationes meditantem, postquam per duodeviginti annos Romanam iuventutem ad verum Eloquentiæ iter instituit, inuida mors sustulit; & ad diuos, vti speramus, transtulit, anno salutis, ni fallor, M. D. XCIX. ætatis supra sexagesimum. Erat religione, animi submissione, modestia, affabilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus supra modum amabilis. Præter hæc, quæ prælo mandata in vulgus emanarunt, reliquit &

Historiam ab orbe condito ad nostra tempora, maxima perspicuitate ac simplici elegantiâ conscriptâ.

Commentarios præterea in omnes fermè Ciceronis de arte Oratoria libros, & in Orationes eiusdem.

I.

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ, natione Hispanus, patria Toletanus, sacrae Theologiæ ac Diuinarum litterarum in Peruano regno hodieque Professor, scripsit,

De Vita spirituali, eiusq; perfectione, lib. v. Lugduni excusos.

Quòd autem etiamnum degat, eò laudibus superfedeo.

IACOBVS ANTONIVS MARTHA, natione Italus, in orientis Solis Indiam ex obedientia profectus, magno zelo, nec minore fructu multos annos posuit in gentium illarum animis excolendis, feliciterque cessit è vita. Scripsit,

De quatuor temporibus anni.

IACOBVS GRETZERVS, natione Germanus, patria diœcesis Constantiensis, admodum adolescens
Societa-